



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

2. Intentio bona comaparatur Ciconiae Architectonicae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## ARTICVLVS II.

## INTENTIO BONA

*Comparatur Ciconia Architectonica.*


**N**ON ignoratis autem, reor, Domum Sapientiæ extrui non posse sine intentione laudabili, siue illa Recta, siue bona dicatur: hâc enim necessariò debere adhiberi ad quælibet virtutum verarum officia, ex quibus fabrica spiritualis confurgit, in confesso est. Eam Magister cælestis Matth. vi. & Lucæ xi. vocat oculum, nempe cordis: non quod sit actus intellectus, ut Theologicè loquamur; sed cùm sit actus voluntatis, quâ quis secundum rationem, vult finem aliquem, ad quem se & actiones suas dirigat, eo vir Sapiens, tanquam itineris sui oculo, ac duce utatur. D. Bernardus eandem comparat Genas, & suavissimè differit, Serm. 40. in Cant. *Cogita anima faciem esse mentis intentionem: ex quâ nimirum re-ctitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis aestimatur.* Sed cur Genas pluraliter dicendum putavit? Attende. Duo quædam in Intentione necessariò requiruntur, *Res & Causa*: id est, *Quid intendas, & propter quid.* Quæ facies altero horum caret, non habet genas, sicut turturi: multo minus si utrumque defuerit. Optima est comparatio, quam exemplis illustrat ingeniosus Abbas.

**S**ED cur in Disciplinâ Architectonica Ciconiæ cot-ferri non possit perquam accommodatè, haud video. Est enim Bona intentio instar trabis altissimæ, ac firmis- simæ cuius ope, iunctis ponderibus vltimi finis, opera- tiones bonæ in altum tolluntur. *Intentio*, inquit S. An- gustinus Lib. 2. de Serm. D. in mon. cap. 21. *est quâ faci-*

mus, quicquid facimus. *Quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est, ut bona sint.* Ille autem dicitur habere bonam Intentionem, qui quæ facit bona, facit propter DEUM, seu finem altissimum, ut fuscè explicat S. Bernardus loco allegato, ubi omnia intentionum genera partesque distinguit & exornat, tandemque concludit: *Solum inquire DEUM, propter ipsum solum: hoc plane est, utramque bipartite Intentionis faciem habere pulcherrimam.*

Hoc instrumento, tam alte educit Architectus Christianus suam fabricam, seu virtutum officia, ut ad rerum apicem DEUM eleuet. Facit enim *bona Intentio*, ut operationes, quamvis adiaphoræ, ut manducandi, studendi, deambulandi, ac similes non solum sint Deo gratæ, verum etiam vitæ æternæ meritoria. Sed quemadmodum aqua, si sit in fonte aut puteo corrupta, & lapides si non sint ad ædificationem idonei, per attractionem Ciconiæ putealis vitia non deponunt; ita nec bona Intentione fit, ut actiones quæ in seipsis malæ sunt, pravitatem deponant, & in bonas mutantur. Quod fortasse aliquis minus peritus opinari posset, furtum committendo, ut pauperibus largiatur quidpiam. Sed iam olim damnavit Apostolus dicentes, *Faciamus mala,*

*ut eveniant bona: furemur, ut pauperum inopiam sublevemus: quorum damnatio, inquit, iusta est, ad Romanos III. 8.*



SERMO